

cerant à traditionibus : At qualiter Christus jam regnaturus ? Corpus ejus spirituale jam redditum , modò hîc est , modò evanescit , modo apparet , modo disparet ; & qualiter hoc conveniet cum mortalibus ? Supponunt quidem traditiones , Messiam fortè futurum מְמַיֵן מֵן דְּמַיֵן unum de mortuis : at cùm redivivus , tale corpus gestaturum , quale & alii homines . Sic concipitur à quibusdam in

Sanhedr. fol. 92. 2. Mortuos istos , de quibus mentio *Ezech. 37.* revixisse , in terram Israeliticam rediisse , uxores duxisse , liberos generasse : *Imò ego sum unus de posteris eorum , inquit R. Judab ben Betirab , atque hæc Phylacteria , quæ legavit mihi avus meus , ipsorum erant . Quid de corporali præsentia Christi in hoc suo regno , quod somniant , Apostoli fenserint , quis potest vel imaginari ?*

VERS. 12. Σαββάτῃ ἔχων ὁδόν.

De itinere Sabbatico aliquid diximus ad Luc. 24. Adjiciamus pauca.

Maimon. Schabb. cap. 27. Quicumq; transgreditur limites urbis Sabbato , vapulet . Quia dicitur : Ne exeat quis è loco suo , die septimo . Locus hic est limes urbis . Lex autem non determinat spatium hujus limitis . At sapientes definiunt , quòd hic limes sit ab extra ad duodecim milliaria , secundùm castra Israëlis . Nam sic dixit iis Moses magister noster : Non exhibitis è castris .

*Verùm ex verbis Scribarum decernitur : Ne exeat quisquam extra urbem , nisi bis mille cubitis . Ultra autem bis mille cubitos , prohibetur . Nam bis mille cubiti sunt suburbana civitatis . Et proinde discas , quòd liceat homini ambulare Sabbato per totam civitatem , sit licet spatiosa sicut Niniveh , cinctane sit muris annon . Licet etiam ei incedere extra civitatem ad bis mille cubitos ab unoquoque latere . At si progressus fuerit ultra bis mille cubitos , verberant eum מַכּוֹר מַרְרוֹר per-
cussione rebellionis . Si nempe procedat ad duodecim milliaria . Si verò progrediatur ab urbe longius , quam ad duodecim milliaria , etiam cubito uno , vapulat ex lege .*

Commentemur aliquantùm.

I. Creditum erat vulgò , quòd castrametatio Israëlitarum in eremo , esset quadraturæ duodecim milliarium.

B

Targ.